

quoad objecta secundaria, et modum videndi. Unde non sufficit esse determinativum potentiae per modum virtutis etiam respectu visionis intuitivæ objecti determinati, sed requiritur etiam determinatio ex parte concursus objectivi, quia ab objecto, et potentia paritur notitia, vel ab aliquo gerente vices objecti, quod est species. Quod vero D. Thomas vocat similitudinem ipsum lumen, ipse se explicat in contra gent. cap. LIV, quod lumen dicitur similitudo non repræsentativa, sed elicitiva, quatenus perducit ad Deum videndum, et sic constituit intellectum Deo similem in eo, quod sicut Deus se videt ita et intellectus: *Nam similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, 1 Joan. IV.

XXII. Tertio, arguitur ex Scoto apud Ferrariensem III contra gent. cap. LIV, et fere eadem objicit Vazquez disp. XLIII, cap. III et IV, quia non requiritur lumen elevans, neque ut intellectus sit activus visionis, neque ut receptivus illius, ergo nullo modo. Antecedens probatur. Non requiritur ut intellectus sit activus, quia ista activitas non requiritur propter objectum, cum hoc sit maxime intelligibile, nec propter potentiam, quia vel potentia in illa visione mere passive se habet visionem suscipiendo, vel si se habet active, habitus non est principium hujus activitatis, quia habitus non est principium agendi simpliciter, sed agendi sic, scilicet faciliter, delectabiliter, etc. Non requiritur etiam lumen gloriæ, ut sit dispositio receptiva ipsius essentiae divinæ, vel visionis, quia essentia divina non inhæret, nec recipitur, et ita non indiget dispositione ut recipiatur, visio autem immediate recipitur in potentia sicut alii actus, ad ipsam enim maxime ordinatur potentia, cum sit perfectissima forma ipsius intellectus: imo ad re-

ciendam formam accidentalem etiam supernaturalem non requiritur alia dispositio ejusdem ordinis, quia alias esset processus in infinitum in dispositionibus recipiendis. Confirmatur, quia vel intellectus habet aliquam virtutem quantumvis minimam ad illam visionem, vel nullam. Si nullam, ergo tota virtus datur a lumine, et sic non repugnabit unum sensum, v. g. visum elevari ad audiendum, accipiendo totam virtutem auditivam, vel etiam ad videndum Deum accipiendo ad id totam virtutem. Si autem habet aliquam respectu illius visionis, ergo non indigebit nova virtute elevari, sed solum illam virtutem præcedentem extendi intra lineam, et ex parte objecti compleri et determinari per speciem, vel per essentiam loco speciei. Quod si ipse intellectus est potentia naturaliter receptiva visionis, ergo respondet illa aliqua potentia naturalis activa, quia omni principio passivo correspondet aliquod principium activum, et sic non indigebit lumine supernaturali. Ac denique quia lumen supernaturale est imperfectius ipsa natura intellectuali, cum sit accidens illius, ergo poterit aliqua natura intellectualis ex suis naturalibus Deum videre, quia perfectio inferior potest contineri in superiori.

XXIII. Respondetur propter utrumque munus requiri lumen gloriæ, nec unum est impossibile alteri, cum etiam ipsa potentia sit activa, et receptiva sui actus. Et quidem de munere disponendi intellectum agemus infra, ubi respondebitur illi argumento. Quod autem attinet ad munus virtutis, et activitatis dicimus non requiri illam propter sufficientiam objecti, sed propter improportionem potentiae ad objectum ita excedens. Nec potentia se habet mere passive, res-

pectu talis visionis, quia licet passive se habeat in recipiendo virtutem elevantem, non tamen respectu visionis, quia ipsam elicit, et active producit, et vitaliter, vitalitate elevata. Quod vero additur quod habitus non est principium agendi simpliciter, sed tali modo, respondetur idem posse objici de habitu fidei, vel charitatis, et de auxilio gratiæ, et tamen gratiam Dei requiri in nobis non ad facilius, sed ad simpliciter operandum actus virtutis, et justificationis, absoluta fides est contra Pelagium. Dicimus ergo habitus supernaturales, et infusos non dari solum ad modum, sed ad ipsam substantiam actus faciendi. Ad hoc autem supponunt quidem potentiam tamquam principium vitale, elevabile, non ut vitale proportionatum; et ita talis virtus supernaturalis non datur tamquam potentia, quia principium vitale supponit, nec datur ad solam facilitatem, et modum quasi supponat in potentia virtutem proximam influxivam, sed non cum tanta facilitate, sed datur per modum virtutis elevantis, id est, transferentis virtutem vitalem in superiorem ordinem vitæ, de quo ordine nihil supponebat formaliter, sed solum non repugnanter, et obedientialiter. Et potentia sic elevata active influit activitate elevata non activitate naturali, seorsum et partialiter.

XXIV. Ad confirmationem respondetur quod intellectus secundum se nec minimam virtutem habet proportionatam, et proximam, seu elevabilem, et obedientialem. In visu autem non est capacitas ut etiam per elevationem possit audire, seu percipere sonum, et multo minus cognoscere Deum, ut supra disputatione XII diximus, quia hæc objecta sunt omnino extra sphaeram talis potentiae essentialis tam connaturalem quam extensivam, ita quod deberet mutari essentialis ejus ratio si ad

id elevaretur. Intellectus autem saltem obedientialem est capax visionis Dei finitæ, quia licet non sit illi connaturalis, non tamen est contra essentialem rationem intellectionis creatæ secundum se, sed solum indiget proportionari, et elevari propter excedentiam objecti, ut ibidem explicavimus. Sed tamen talis potentia cum sola specie non sufficit, sed requiritur, quod virtus potentiae ut elicitiva, et non solum ut repræsentativa, sit proportionata tali objecto speciei, ut possit elicere visionem. Quod vero dicitur, quod illi potentiae passivæ intellectus debet correspondere aliqua activa, respondetur correspondere activam, sed supernaturalem, et elevantem, sicut et ipsa passiva non est naturalis, sed obedientialis respectu illius agentis superioris. Et licet lumen gloriæ in ratione entis, seu accidentis sit inferius ad substantiam animæ; in ratione tamen participationis et elevationis superior est, quia se habet ut quædam impressio divinæ virtutis secundum ordinem superiorem, ad quem elevat animam, et ita in ratione ordinis et participationis superior est; nec potest contineri in aliqua natura creata, quæ est ordinis inferioris, sicut etiam in eo, quod vices gerit alterius non attenditur id, quod est in se subjective, et entitative, sed id, cujus est participative, et ad quod ordinat, et elevat, sic enim semper est superius, sicut id cujus est participatio.

## ARTICULUS II.

*An lumen gloriæ se habeat ut virtus partialis, vel instrumentalis respectu visionis?*

I. Varia munera ab auctoribus attribuuntur lumini gloriæ; sed tamen ad duo genera reduci possunt,

scilicet ad genus causæ activæ, vel dispositivæ. Nam certum est hoc lumen solum se tenere ex parte potentiæ intellectivæ, non ex parte objecti repræsentativæ. Nam si qui voluerunt attribuere lumini munus speciei impressæ, est quia negaverunt speciem debere esse repræsentativam objecti, sed sufficere quod sit determinativa potentiæ, et virtutis erga tale objectum.

II. Circa potentiam ergo in primis excludenda est potentia intellectus agentis, circa quam nullum munus exercet lumen gloriæ, eo quod intellectus agens solum datur ad acquirendas, et formandas species ex objectis sensibilibus; et sic formatas illustrare potest ut vivacius repræsentent, vel melius conferat ad aliquam veritatem inferendam in ipso intellectu possibili. At vero lumen gloriæ nihil tractat cum sensibilibus, ut ab illis species intelligibiles educat, neque ullam aliam speciem creatam ad repræsentandum Deum formare potest, cum nulla talis sit possibilis, ut supra ostendimus. Et si possibilis esset, non tamen ex effectibus vel ex objectis sensibilibus deberet educi, sed immediate a Deo fieri, quia Deus non cognoscitur a lumine gloriæ ex effectibus, sed in se immediate repræsentatur. Quare nihil habet lumen gloriæ quod agat cum intellectu agente, aut elevet illum, quia nullam habet facere speciem creatam. Sed assimilatur aliquo modo muneri intellectus agentis, quantum ad hoc, quod sicut potentia intellectiva ante influxum intellectus agentis nihil luminis habet ortum ex speciebus, sed est de se tamquam tabula rasa, ita in ordine supernaturali ante lumen gloriæ, intellectus nihil luminis, et virtutis habet, sed solum capacitatem obedientialem, totam vero rationem luminis accipit elumine gloriæ, seu potius a Deo infundente illud.

III. Circa potentiam ergo intellectivam habet lumen gloriæ duplex illud munus reductum ad genus causæ efficientis, et dispositivæ, non quod ipsum lumen agat intellectum effective, sed quia informando intellectum, et elevando per informationem, præbet illi activitatem elicivam visionis, et hoc est munus causæ effectivæ, scilicet ad visionem. Et similiter disponit intellectum ad unionem divinæ essentiæ per modum speciei impressæ, et ad recipiendam visionem elicitam a se. De hoc secundo munere dispositivo agemus articulo sequenti. In præsentem autem de activitate luminis gloriæ quomodo elevet, et concurrat cum intellectu nunc agemus, an scilicet partialiter, an ut tota virtus, an ut virtus instrumentalis, ita quod potentia sub illo se habeat ut instrumentum vitale.

QUÆ POTENTIA OBEDIENTIALIS SUPPONATUR AD LUMEN GLORIÆ?

IV. Hoc fundamentum necessario jaciendum est pro istis difficultatibus, et aliis sequentibus enodandis, et in ipso incipimus differre a multis recentioribus, qui de potentia obedientiali præsupposita ad lumen gloriæ in intellectu, et consequenter de concursu ipsius luminis gloriæ cum potentia, longe aliter sentiunt quam nos.

V. Igitur auctores oppositi fatentur dari potentiam obedientialem activam in rebus illis, quæ active concurrunt ad aliquos effectus supernaturales, vel miraculosos, et utuntur ista regula, quod quoties in effectu relucet aliquid correspondens causæ naturali, cujus conatu, vel actu Deus utitur ad effectum supernaturalem, in tali re ponitur virtus obedientialis activa. Et in hoc videntur convenire pater Sua-

rez, et Vazquez. Ille tom. I, III p. disput. XXXI, sect. V, et VI et III tom. qu. LXII, art. V, in commentariis. Iste II tom. I p. q. CLXXVI, cap. V, et disp. CXCVIII, cap. II, et disp. CXLIII, cap. III, ubi præfatam regulam ponit in omnibus rebus istam activam virtutem, quia omnium conatibus, seu actibus potest Deus uti ad aliquem effectum supernaturalem saltem ut instrumento, et sic fatetur dari instrumenta physica ad gratiam: Vazquez autem solum istam potentiam obedientialem ponit in potentiis vitalibus, quæ elevantur ad actus supernaturales, quia solum in istis agnoscit conatum vitalitatis tamquam partialem concursum ad actus supernaturales: instrumenta autem physica ad effectus supernaturales non admittit, et ideo neque potentiam obedientialem activam, seu conatum ad illos effectus supernaturales fatetur in se.

V. Quare solum agnoscunt hi auctores potentiam obedientialem activam respectu agentis partialis supernaturalis, cum quo partialiter concurrunt nostræ potentiæ, vel operationes, quia enim in effectu producto relucet aliquid ortum a potentia nostra naturali, v. g. vitalis in visione, et aliquid a supernaturali agente derivatum, scilicet supernaturalitas ejus, et ad illam partialem concurrentiam se habet activitas naturalis, ut inferior, et obediens, dicitur potentia obedientialis activa indigetque concursu elevante partiali, non quia ex se sit inchoata aliqua potentia supernaturalis positive, sed tantum partialiter active se habens respectu supernaturalis elevantis.

VI. Qua etiam ratione explicat hanc potentiam activam obedientialem p. Alarcon, tractatu de visione, disputatione II, capit. XI, §. VI, licet in impugnanda sententia, quam ipse quibusdam Thomistis imponit, ut

Scoto et aliis, nimis excedat §. III, attribuens eis quod dicant consistere potentiam obedientialem in motione aliqua transeunti impressa a Deo. Sed non videtur eos legisse, aut vidisse, neque enim constituunt Thomistæ potentiam obedientialem in motione, sed per motionem elevari potentiam obedientialem ad agendum instrumentaliter dicunt. Quid distantius a constitutione potentiæ obedientialis?

VII. Excedit autem nimis hic auctor, quia sine causa, et ratione plura satis indigna in genere doctrinæ accumulat in Magistrum Nunno, et Thomistas; referens enim responsionem quamdam prædicti Magistri III p. quæst. LXII, art. I, difficultat. VII, ad V replicam, ubi dicit motionem illam, quæ imprimatur instrumentis supernaturalibus non fuisse cognitam ab Aristotele, sed quod est motio quædam spiritualis, et supernaturalis a Deo, cujus si daremus appositissimum exemplum non esset singularis, et si sufficientem rationem non esset admirabilis; irridet prædictus auctor cum Ægidio Lusitano, hanc solutionem (quasi verissimum non sit Aristotelem hæc supernaturalia non cognovisse) quæ inquit, solutio toleranda esset, si fides doceret hanc dari motionem. Cæterum ubi id fides non docet, non est theologi nisi capitosi recurrere ad mysterii altitudinem. Quæ cum Ægidius in personam Magistri Nunno proferat prædictus auctor validioribus lacertis lapidem vibrans, metas Ægidii excedit, in Thomistarum stylum, et scholam, stylum ipse infigens, et in aculeos non modestos omissa rationum VI, totus effunditur. Sic enim de Thomistis eloquitur: « Sunt nonnulli Thomistæ, qui cum præstigiis velint intellectum nostrum deludere, suadere nobis volunt commenta, quasi fidei documenta, cui debeamus rationis

lumen submittere : profecto puto idololatriam quamdam, si cultum quem debeo infallibilitati divinæ figmentis exhibeam Thomistarum, ut sacræ fidei exhibeat olim Augustinus. At vero Thomistæ orent alios pro hoc obsequio, me tamen nunquam exorabunt. Lege Ruizium nostrum, tomo de scientia Dei disp. LIX, sect. I, ubi videbis qua ratione solemnem istum cultum ambire soleant Thomistæ pro suis opinionibus, quando illas ut argumentum fundare non possunt. » Sic egregius noster encomiastes.

VIII. Bone Deus! Quam fœcunda est in scitia cum rationis pondere destituta in auras dilabitur vanitatis, et quantum improprie dicacitatis felle temperantur spicula, cum sagittis argumentorum evacuatur pharetra veritatis. Quibus præstigiis Thomistæ deludant, non est nostrum discurrere. Patent libri eorum, auctores præsto sunt, iique non vulgares, Cajetanus, Ferrariensis, Soto, Capreolus, Bagnez, Medina, alii innumeri, disputationes quotidie evolvuntur: ad illas remitto lectorem, sed passionis amaritudine non tinctum. A quadragentis annis et amplius infragabili studio in Ecclesia Dei, et pro Ecclesia Dei Thomistæ desudant, nullis tamen in eorum doctrini, dum D. Thomam sequuntur, deludi Ecclesia se sensit præstigiis, nulla eorum figmenta in adorationem erecta respuit, aut execranda notavit, quæ nunc tamquam commenta, et fictitia laudator noster ructavit, ac suffit; sed tamquam saluberrimos fructus, et doctrinæ, ac veritatis maturitate suavissimos perpetuo prædicavit, et extulit, ut ipso summo tum præsulum, et Apostolicæ Sedis ore non semele vulgatum est. Nota sunt verba illa Eugenii IV, in bulla quadam ad ordinem Prædicatorum directa anno 1439, in collectione privilegiorum ordinis Prædi-

catorum: « Ordo, inquit, Prædicatorum assidue flores proferens copiosius honestatis, et producens uberior fructus vitæ inter alia plantaria dominica, puritate conversationis scientiæ dono, et virtutis merito tam contra profugandas hæreses, quam contra pestes mortiferas criminum aliorum extirpandas, doctrinæ magisterio, et evangelizatione verbi Dei, dignoscitur specialiter insignitus. » Et eo x, anno 1518: « Cum inter cæteros, inquit, operarios ordo Prædicatorum magnos, et probitatis et doctrinæ, et animarum salutis, fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, etc. » Certe præstigiis, ac figmentis tot, ac tales tamquam laudatos doctrinæ fructus Ecclesiæ catholicæ afferri, quis nisi præstigiatus affirmet? Quos fructus usque ad nostra tempora jugiter per D. Thomæ doctrinam in ejus ordine germinare, non cessant Summi Pontifices, uno ore clamare, ut in multis, et variis decretis, quæ longum esset recensere videri potest, ut etiam testatur Gregorius XV, in alia bulla ordini Prædicatorum directa 28, Julii 1622, quæ incipit: « Eximii, atque singulares fructus, etc. » Hæc sunt figmenta Thomistarum, hæc præstigiæ, quibus cultum suum tam religiose denegat iste auctor, quasi rem valde expediendam, aut ambiendam nobis subtrahat. Sed valeat cum suo cultu, aut observantia, et quibus valuerit eam exhibeat. Nos ad rem devenimus.

IX. Nullus ergo Thomistarum potentiam obedientialem constituit in motione, seu qualitate transeunte, sed ad motionem in rebus creatis supponitur obedientialis potentia, consistens in non repugnantia, ut Deus ex illa, vel in illa, et per illam efficiat, quod voluerit, ut docet S. Thomas, in IV dist. VIII, q. II, art. III ad IV, ubi comprehenditur omne

illud, ad quod potest ordinari potentia obedientialis creaturæ, scilicet vel ut aliqua forma superior educatur ex aliquo subjecto, vel ut in illa recipiatur, vel ut per illam fiat actus aliquis, vel effectus supernaturalis; actus quidem efficiendo illos, ut causa principalis, effectus autem faciendo illos instrumentaliter; et ad utrosque aptat Deus virtutes, vel motiones elevantes, quæ conducunt ad tales actus, seu effectus, et eorum elicentiam. Atque ita obedientialis potentia per illam motionem constitui non potest, si quidem supponi debet potentia, et subjectum quod per talem motionem elevetur, et moveatur.

X. Quod vero neque in causis vitalibus neque in pure instrumentalibus possit explicari potentia obedientialis activa per illum concursus partialem ostenditur, quia vel iste concursus partialis attingit aliquid ordinis naturalis in actu, vel effectu producto, vel nihil naturalis ordinis est in tali actu, vel effectu, quod ei correspondeat etiam ex parte vitalitatis. Si nihil naturalitatis est in tali actu illi conatui, et activitati ordinis naturalis correspondens: ergo neque influit partialiter illa potentia naturalis, et sic non datur potentia obedientialis activa, etiam stando in regula posita ab adversariis, scilicet quod quando correspondet in actu, vel effectu aliquid activitati naturali, et naturaliter conante, tunc est potentia obedientialis activa. Si autem datur aliquid ex parte actus, quod pertinet ad naturalem ordinem, et quantum ad hoc correspondeat activitati, et conatui naturali agentis creati, tunc obstant duo. Primum, quia ille actus, vel effectus ex sua substantia, et specie est supernaturalis: ergo non potest poni in genere naturali, nec aliquid in eo relucere, quod sit naturalis ordinis,

quia ea, quæ ex sua natura, et specie sunt diversi ordinis naturalis, et supernaturalis, ita inter se invicem differunt, quod nihil unius potest alteri convenire, sed solum possunt habere pro genere aliquid abstrahens e naturali, et supernaturali, non vero supernaturale habere pro genere id quod naturalis ordinis est tamquam prædicatum sibi essenziale, licet possit subjectari in subjecto entitatis naturalis: sicut corruptibile, et incorruptibile, ita differunt inter se, quod solum possunt convenire in aliquo abstrahente ab utroque, non vero unum habere alterum pro genere, v. g. incorruptibile habere pro genere rationem corruptibilis. Et ratio est, quia se habent ut oppositæ differentiæ; nunquam ergo potest una se habere ut genus ad alteram: ergo cum magis inter se dividantur et opponantur naturale, et supernaturale, utpote diversi ordinis, non potest supernaturalis species habere pro genere id quod naturale est.

XI. Et confirmatur, quia nihil quod est ordinis naturalis, et ex præciso conatu, et viribus naturalibus est ortum, habet connexionem per se, et intrinsecam, ac debitam cum ordine supernaturalis gratiæ, alioquin id quod gratiæ est daretur ex debito ei quod est ex natura, quod perpetuo abhorrent Concilia, et Augustinus præsertim contra Semipelagianos: neque conanti ex solis viribus naturæ, vel ex eo præcise, quod naturalis conatus est, datur necessario, et ex debito id quod gratiæ est. Si autem ex parte actus supernaturalis datur aliquid naturalis ordinis correspondens activitati, et conatui naturalis potentiæ, illud connexionem intrinsecam, et debitum habet cum eo, quod supernaturalitatis est in tali actu, si quidem ad constitutionem illius uniuntur, et concurrunt; unde oportet

quod ex parte agentium, et influentium detur similis connexio, et debitum in ordine ad influendum in tale actum, unde patet quod ex tali positione potentiæ obedientialis activæ, ut explicatur ab istis auctoribus ratione partialis concursus, nascuntur omnia illa inconvenientia quæ in materia de gratia valide refutantur, ut quod facienti quod in se est ex conatu naturali detur gratia, quod usus liberi arbitrii, ut ex parte activitatis naturalis se tenet non sit effectus gratiæ prædestinationis, et alia similia, quæ concernunt connexionem, et debitum ejus quod naturæ est, cum eo quod est gratiæ, et omnia habent radicem in ista positione potentiæ obedientialis activæ per modum partialis concursus, qui gratiæ non subordinetur, sed concomitetur, et ita valde oportet vigilare in illa excludenda.

XII. Secundo, obstat huic positioni, quia si ista potentia activa obedientialis datur ad partialem concursum respectu ejus, quod naturalis ordinis est in actu et effectu, repugnat quod respectu hujus partialitatis obedientialis dicatur, sed principalis, et connaturalis, quia id quod naturale est in effectu, seu actu est sibi proportionatum, et sui ordinis, et correspondentiæ, ergo non magis obedientialiter se habet ad illud quam respectu omnium, quæ connaturaliter agit, si quidem illud eodem modo ad connaturalem et proportionatum ordinem pertinet. Respectu vero ejus quod supernaturale est in actu, cum etiam ipsa supernaturalitas dimanet a potentia, si quidem beatus elicit visionem etiam ut quid supernaturale, et beatificum est, oportet in ipsa potentia non solam naturalem activitatem ponere, sed etiam supernaturalem virtutem, alioquin quomodo supernaturalis actus quoad supernaturalitatem ab ea egredietur? Ergo non

salvatur obedientialis potentia activa, neque respectu ejus, quod naturalis ordinis in effectu relucet, neque respectu ejus quod supernaturale est in effectu. Quod declaratur exemplo formationis corporis Christi. Nam licet ad illud concurrerit virtus supernaturalis Spiritus Sancti, et virtus naturalis Beatæ Virginis, tamen dicitur naturalis Mater Christi non minus quam aliæ matres, et non ratione potentiæ obedientialis, non obstante quod partialiter concurrerit cum virtute Spiritus Sancti, sicut virtus activa Martiris cum virtute activæ Patris, ergo non sufficit concursus partialis causæ naturalis cum causa supernaturali supernaturaliter operante, ut dicatur illa potentia obedientialis, sed omnino manet naturaliter operans respectu ejus, quod sibi correspondet; imo ad hoc ipsum, quod sibi correspondet indiget concursu Dei naturalis ordinis, et sic respectu ejus non obedientialiter se habet, sed principaliter, et connaturaliter. Et similiter in instrumentis, verbi gratia in baptismo, id quod operatur in ordine naturali, v. g. ablutio corporalis, non est a potentia obedientiali aquæ, sed a naturali, et cum concursu Dei naturali fit illa ablutio. Ergo inconvenienter ponitur potentia obedientialis activa sive in instrumentis, sive in potentiis vitalibus respectu ejus, quod naturalis ordinis est in effectu, ut activitati, et conatui naturali eorum correspondet; ad hoc enim non obedientialem, sed connaturalem, et omnino propriam potentiam habent. Plura de his attingemus in puncto sequenti, et in articulo ultimo ejus disputationis.

LUMEN GLORIÆ EST TOTALIS  
VIRTUS AGENDI.

XIII. Pendet tota intelligentia hujus difficultatis, et resolutionis ejus,

quæ aliquibus valde aspera videtur ex applicatione illius termini tota virtus. Potest enim tota excludere consortium alterius principii influentis etiam ut elevatum, et subiectum lumini gloriæ, vel potest excludere aliam formalem rationem præter ipsum lumen gloriæ. Est enim aliud ratio, seu virtus operandi, aliud ipsum principium operativum, et influens, media tamen virtute, quæ proportionatur, et habilitatur ad operandum. Quod ergo volumus dicere est, quod in visione beatifica, licet intellectus concurrat tamquam principium vere vitale, et vere influens, tamen ratio influendi est unica, scilicet desumpta ex lumine gloriæ, quæ ita intellectum perficit, et elevat quod non concurrat per propriam virtutem naturalem, ut in suo naturali ordine manentem, sed ut elevatam. Et ipsamet vitalitas intellectus, quæ reducitur in animam tamquam in principium, et radicem operandi vitaliter non influit proxime in actum visionis, nisi ut elevata ad vivendum vita supernaturali in elicentia illius visionis, non autem vita naturali. In hoc ergo est differentia inter nos, et auctores oppositos quod ipsi volunt intellectum ratione suæ naturalis activitatis influere in visionem beatificam, et sic habere partialem influxum in talem visionem. Nos autem dicimus intellectum quidem concurrere ad visionem, et procedere ab ipso vitaliter, sed tamen totam rationem formalem, et virtutem influendi esse elevatam, et ut talem haberi ab ipso lumine gloriæ, et excludere omnem aliam rationem formalem activam ut propriam, etiam partialem. Unde hoc non est reducendum solum ad quæstionem de voce, ut aliqui volunt, sed de re, nimirum cum valde conducat ad explicandum modum istum elevationis, quo lumen gloriæ impressum

intellectui communicat ipsi virtutem ad operandum.

XIV. Proceditur ergo in hac parte ex duobus principiis, in quibus videtur, quod omnes debent convenire, ex sinistra tamen eorum applicatione, vel intelligentia valde inter se videntur differre, et vix punctus difficultatis aperitur, sed ad quæstionem de nomine totum hoc revocatur. Primum principium est, quod in ipso actu visionis aliquid prædicatum relucet, quod in virtutem nativam intellectus, et radicalem ipsius animæ reducit, scilicet vitalitas, neque enim minus ille actus est supernaturalis, quam vitalis. Ex quo aliqui inferunt; ergo est in intellectu aliqua vis physica, et realis, quæ non est in voluntate, vel in sensu quæ influit in talem visionem, et istam vim non accipit a lumine gloriæ, sed a se habet, quia vitalis, et a principio vitæ intrinseco. Quod autem appelletur illa virtus activitas radicalis, vel virtus incompleta, aut inchoata, aut capacitas, vel coaptatio ad lumen, totum videtur pertinere ad verba: de re enim omnibus videtur esse notum, quod talis influxus, et virtus detur.

XV. Alii vero ex alio principio procedunt, quod etiam videtur esse omnibus notum, quia ita influit intellectus, et lumen in visionem, quod ratio formalis influendi est unica, et indivisibilis, nec potest componi ex naturali, et supernaturali tamquam ex partibus, cum visio ipsa specificè sit una, et ita ratio eliciendi illam specificam, una et indivisibilis esse debet, sicut etiam actus procedens ex potentia, et habitu naturali, v. g. ex philosophia vel mathematica tantum unam rationem formalem habet specificam, quæ desumitur ex habitu, et potentia non ut partialiter influentibus, sed unico, et indivisibili influxu, ita quod habitus se ha-